

### 3. URZĄD DS. PAPIESKICH CELEBRACJI LITURGICZNYCH

#### *Nowy obrzęd kreowania kardynałów*

*W nr. 69 „Anamnesis“ informowaliśmy za „L'Osservatore Romano” z 8 stycznia 2012 r., że papież Benedykt XVI zaaprobował zmiany wprowadzone do obrzędu kreowania kardynałów przez Urząd ds. Papieskich Celebracji Liturgicznych. Tu podajemy łaciński tekst tego obrzędu wydrukowany w czasopiśmie Kongregacji „Notitiae“ 49 (2012) nr. 1-2, s. 56-64.*

#### ORDO CONSISTORII ORDINARIJ PUBLICI

CARDINALIUM CREATIO  
BIRETI RUBRI IMPOSITIO  
ANULI CARDINALIS TRADITIO  
TITULI VEL DIACONLE ASSIGNATIO

*Dum Summus Pontifex, mozeta et stola indutus, ingreditur, introitus cantum schola canere incipit:*

Tu ES PETRUS

*Schola:*

Tu es Petrus, et super hanc petram Mt 16, 18-19  
aedificabo Ecclesiam meam,  
et portas inferi non praevallebunt adversus eam,  
et tibi dabo claves regni caelorum.

*Summus Pontifex, coram Confessione brevi precatione peracta, ad Sedem accedit.*

SALUTATIO

*Summus Pontifex:*

In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti.  
R. Amen.  
Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.  
R. Et cum spiritu tuo.

ORATIO

*Summus Pontifex:*

Oremus.  
Domine Deus, Pater gloriae, fons honorum,  
qui licet Ecclesiam tuam toto orbe diffusam  
largitate munerum ditare non desinis,  
sedem tamen beati Apostoli tui Petri tanto propensius intueris,  
quanto sublimius esse voluisti:

da mihi famulo tuo  
 providentiae tuae dispositionibus exhibere congruenter officium;  
 certus te universis Ecclesiis collaturum  
 quidquid illi praestiteris, quam cuncta respiciunt.  
 Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,  
 qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,  
 per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

#### EVANGELIUM

*A diacono, alba et stola induto, Evangelium proclamatur.*

*Ecce ascendimus in Hierosolymam,  
 et Filius hominis tradetur.*

+ Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

10,32-45

In illo tempore:

Erant discipuli in via ascendentes in Hierosolymam, et praecedebat illos Iesus, et stupebant; illi autem sequentes timebant. Et assumens iterum Duodecim coepit illis dicere, quae essent ei eventura:

«Ecce ascendimus in Hierosolymam; et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et damnabunt eum morte et tradent eum gentibus et illudent ei et conspuent eum et flagellabunt eum et interficient eum, et post tres dies resurget».

Et accedunt ad eum Iacobus et Ioannes filii Zebedaei dicentes ei:

«Magister, volumus, ut quodcumque petierimus a te, facias nobis».

At ille dixit eis: «Quid vultis, ut faciam vobis?».

Illi autem dixerunt ei: «Da nobis, ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram sedeamus in gloria tua».

Iesus autem ait eis: «Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismum, quo ego baptizor, baptizari?».

At illi dixerunt ei: «Possumus».

Iesus autem ait eis: «Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis et baptismum, quo ego baptizor, baptizabimini; sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare, sed quibus paratum est».

Et audientes decem coeperunt indignari de Iacobo et Ioanne. Et vocans eos Iesus ait illis: «Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri maior inter vos, erit vester minister; et, quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus; nam et Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis».

Verbum Domini.

#### ALLOCUTIO

*Summus Pontifex allocutionem habet.*

*Allocutionem expleta, omnes in sacro meditationis silentio manent.*

CREATIO NOVORUM CARDINALIUM

*Summus Pontifex:*

Fratres carissimi, munus gratum idemque  
Grave sumus expleturi, quod  
cum Romanam Ecclesiam  
imprimis pertineat totius quoque Ecclesiae corpus afficit:  
in Patrum Cardinalium Collegium  
nonnullos Fratres cooptabimus,  
qui artiore vinculo cum Petri  
Sede devinciantur, Romani Cleri  
membra fiant et in apostolico  
servitio Nobiscum strictius cooperentur.

Ipsa sacra purpura exornati,  
in Urbe Roma et in dissitis regionibus  
intrepidi erunt Christi testes eiusque Evangelii.  
Itaque auctoritate omnipotentis Dei,  
sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra  
hos venerabiles Fratres creamus  
et sollemniter enuntiamus  
Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ...

*Summus Pontifex nomina novorum Cardinalium dicit et Presbyteralem vel diaconalem Ordinem, cui singuli assignantur, enuntiat.*

PROFESSIO FIDEI ET IUSIURANDUM

Fratres carissimi,  
fidem vestram in Deum unum et unum,  
et fideitatem in sanctam Ecclesiam  
catholicam atque apostolicam,  
teste populo sancto Dei,  
profitemini.

*Tunc Eminentissimi professionem fidei una simul emittunt:*

Credo in Deum Patrem omnipotentem,  
Creatorem caeli et terrae  
et in Iesum Christum,  
Filium eius unicum, Dominum nostrum,  
qui conceptus est de Spiritu Sancto,  
natus ex Maria Virgine,  
passus sub Pontio Pilato,  
crucifixus, mortuus et sepultus,

descendit ad inferos,  
 tertia die resurrexit a mortuis,  
 sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis,  
 inde venturus est iudicare vivos et mortuos.  
 Credo in Spiritum Sanctum,  
 sanctam Ecclesiam catholicam,  
 sanctorum communionem,  
 remissionem peccatorum,  
 carnis resurrectionem,  
 vitam aeternam. Amen.

*Postea fidelitatis et oboedientiae iusiurandum erga Summum Pontificem eiusque  
 Successores nuncupant:*

Ego N.... sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis N...  
 promitto et iuro,  
 me ab hac hora deinceps, quamdiu vixero,  
 fidelem Christo eiusque Evangelio  
 atque oboedientem beato Petro  
 sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae  
 ac Summo Pontifici N.,  
 eiusque successoribus canonice legitimeque electis,  
 constanter fore;  
 communionem cum Ecclesia catholica,  
 sive verbis a me prolatis, sive mea agendi ratione,  
 me semper servaturum;  
 nuntia vel secreta omnia, quae mihi concredita sint,  
 numquam in Ecclesiae damnum vel dedecus esse evulgaturum;  
 magna denique cum diligentia et fidelitate onera explere,  
 quibus teneor erga Ecclesiam,  
 in quam ad meum servitium exercendum,  
 secundum iuris praescripta, vocatus sum.  
 Ita me Deus omnipotens adiuvet.

IMPOSITIO BIRETI RUBRI, ANULI CARDINALIS TRADITIO  
 ET ASSIGNATIO TITULI VEL DIACONIAE

*Summus Pontifex:*

Ad laudem omnipotentis Dei  
 Et Apostolicae Sedis ornamentum,  
 accipite biretum rubrum,  
 Cardinalatus dignitatis insigne,  
 per quod significatur usque ad sanguinis effusionem  
 pro incremento christianae fidei,  
 pace et quiete populi Dei,

libertate et diffiisione Sanctae Romanae Ecclesiae  
vos ipsos intrepidus exhibere debere.

*Quisque Cardinalis, secundum creationis ordinem, Summo Pontifici appropinquat  
atque coram Eo genu flectit. Summus Pontifex Cardinali imponit pileolum et biretum  
rubrum, nihil dicens.*

*Deinde cuique Cardinali anulum tradit:*

Accipe anulum de manu Petri  
et noveris dilectione Principis Apostolorum  
dilectionem tuam erga Ecclesiam roborari.

*Deinde ei quandam Roma ecclesiam tribuit, ut signum de Urbe pastoralis sollicitudi-  
nis participandae Summi Pontificis:*

Ad honorem Dei omnipotentis  
Et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli,  
tibi committimus Titulum (vel Diaconiam) N.  
In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. R. Amen.

*Deinde Summus Pontifex Bullam Cardinali tradit et osculum pacis illi dat, dicens:*

Pax Domini sit semper tecum.

*Cardinalis respondet:*

Amen.

*Novus Cardinalis surgit et, capite detecto, facta reverentia Summo Pontifici, accedit  
ad alios Cardinales seniores, singulos amplectens. Deinde perguit ad locum suum.*

CONSTITUES EOS PRINCIPES

*Schola:*

Constitues eos principes super omnem terram. Ps 44, 17-18  
Memores erunt nominis tui, Domine,  
in omni generatione et generatione.

ORATIO DOMINICA

*Summus Pontifex:*

Oremus, fratres carissimi, ut super hos famulos suos  
benignitas Dei omnipotentis gratiae suae dona multiplicet.

*Cantor:*

Kyrie, eleison.

*Omnes:*

Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, qui es in caelis:  
sanctificetur nomen tuum;  
adveniat regnum tuum;

fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra.  
Panem nostrum cotidianum da nobis hodie;  
et dimitte nobis debita nostra,  
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;  
et ne nos inducas in tentationem;  
sed libera nos a malo.

*Summus Pontifex:*

Deus, cuius universae viae misericordia est semper et veritas,  
operis tui dona proseguere;  
et quod possibilitas non habet fragilitatis humanae,  
tuis beneficiis miseratus impende;  
ut hi famuli tui, Ecclesiae tuae iugiter servientes  
et fidei integritate fundati,  
et mentis luceant puritate conspicui.  
Per Christum Dominum nostrum.

BENEDICTIO

*Summus Pontifex:*

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

V. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit caelum et terram.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, + et Filius, + et Spiritus + Sanctus. R Amen.

DIMISSIONE

*Diaconus:*

Ite, in pace.

R. Deo gratias.

ANTIPHONA MARIANA